

§ 23.

Vidimus sanctitatem Dei, quam celebrarunt Seraphini, Jam quæritur; num soli Filio in throno sedenti, an vero omnibus SS. Trinitatis Personis ex mente canentium & Prophetæ audientis trina sanctitatis celebratio sit applicanda? Extentu apparet, *sanctus, sanctus, sanctus* esse prædicatum, Domino Zebaoth, cujus gloria totam terram replet, applicandum; canunt enim angeli: *Sanctus, sanctus, sanctus est Dominus Zebaoth.* Hoc posito porro monstrandum est, quod Dominus Zebaoth non denotet h. l. solum Dei Filium, sed omnes tres Personas. Pro solo Filio militare videntur ea, quæ supra de Domino viso §. 7. diximus: Sed quoniam §. 14. observatum est, quod non solum Filius, sed etiam Pater & Spiritus S. quarum Personarum una est essentia, a Propheta fuerint mente spirituali visi, nulli dubitamus, sanctos Seraphinos suum Trisagium omnibus Trinitatis Personis attribuisse. Hoc manifestum esse putamus ex trina Sancti repetitione; hæc enim non convenit cum bina illa repetitione qua superlativus gradus apud Hebræos exprimitur; hoc loco enim non bina, sed trina repetitio occurrit. Nec spectant huc loca in quibus ter substantivum repetitur v. g. *Jer. VII. 4. templum Domini, templum Domini, templum Domini: Jer. XXII. 29. terra, terra, terra audi sermonem Domini, Ezechiel XXI. 27. (aliis 32.) perversitatem, perversitatem, perversitatem ponam eam;* in his enim repetuntur substantiva, in nostro vero Trisagio adjectiva, substantivo suo Domino Zebaoth applicata. Sed posito trinam sancti repetitionem componi posse cum locis allegatis; nihilominus tamen non sequitur, superlativum eadem exprimi. Summe reverendus D. Danzius in *Interprete Cap. I. §. 14.* evidenter monstravit: quod in allegatis locis de rebus tribus realiter distinctis sermo sit, *Jer. VII. 4. respicitur quidem ad templum unum, sed tribus*